

/ Admodum Reverende Pater. Libentissimè legi litteras Reverentiae Vestrae, quibus me de fructu suo spirituali, et progressu collegii Constantiensis certiore reddidit. Ago Deo gratias, de cuius munere ista bona tam magna proveniunt. Ego Romam veni ad comitia pontificia, sed cum ad meam ecclesiam reverti pararem, obedientia summi Pontificis, et simul desiderium patrum Societatis fecit, ut dimissa ecclesia Capuana Romae consisterem. Itaque qui ante triennium reliquerem patrem, et matrem, ut adhaererem uxori meae; nunc, ut adhaeream patri Summo Pontifici, et matri Societati Iesu, spon-  
10 sam mihi charissimam relinquere cogor. Haec quidem contraria esse videntur: sed Spiritus sanctus, qui per vicarium Iesu Christi utrumque iussit, non est sibi contrarius. Mihi quidem episcopalia munia magis arridebant, quam cardinalitia: videbar enim in missione versari, et Societatis ministeria quodammodo obire: sed non per-  
15 tinet ad servum eligere quid faciat, cum totus à nutu Domini pendere debeat. Oret pro me charitas tua, ut beneplacitum Domini semper adimpleam, et particeps fiam laborum tuorum, in quibus tam fideliter desudasti. De Summi Pontificis pietate, quae R.V. audivit, verissima sunt: verè enim de illo dici possunt, quae frequenter canimus in ecclesia: Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit, et quietus: nec minus vera sunt, quae de contrariis vitiis nonnullorum ad vos perlata sunt: sed benè novit prudentia vestra paleas cum tritico in eadem carca, et pisces malos cum bonis in eadem rete, usque ad diem iudicii permixtos esse debere: et ideo ab ipso  
25 Domino dictum esse, ut scandala veniant. Valeat R.Vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae die 8 septembris 1605.